



1. Buddenb. Joh. francis
 Epistola ad nuncientiam
 quorundam Ministrorum
 Ecclesie in Sillesia
 vindicandam spectans.
 1723.
2. Bücher s. Christ: frid:
 therer orthodoxe
 1702.
3. Chladenij s. Martij diff:
 sistens deomaxian ex
 consilio Gamalielij caven-
 dam, Wittenb.
 1718.

4. Chladenij s. Mart. s. diff. de
economia dei novi Wittens.
5. ejusdem, diff. de inspiratis sine
spiritu Wittens. 1715.
6. ejusdem, diff. de Catharsista
pro Attheo incurabili, Wittens.
7. Christ s. Fred. s. diff. exhibens
gloriarum cultum Novi
testamenti supremo Nu-
mine ejusq; Christi, jude
1723.
8. Deylingij s. Salanij diff. de
odio Dei adversus Esavum.
Lipsiae 1724.
9. Feust Kingij s. Joh. Hear. s.
causa dei et pietatis
1698.
10. Faertrichij s. Niedl. s. diff. de ex-
cellens in pietatis studio
jude 1708.
11. Foppij s. Joh. Hear. s. diff. de
Historia theologiae polemico
sermon 1714.

12. Janiſſ. Joh. Wilh. ſ. de fidei
justificantis natura,
Wittenb. 1722.
13. Klaunig ſ. Henr. ſ. diff. de
discrimine Sanctificationis
et justificationis, Lipsiæ
14. ejusdem, diff. olokklyron Hymnon to
pneuma clay, hy pœgma Rau to
fome, et i. Thess. v. Lipsiæ 1724.
15. ejusdem, metasomatōis veterani
gentilium, Lipsiæ 1724.
16. Langiſſ. Joach. ſ. Compellatio
epistolica ad Socinianos.
Amstend. 1711.
17. Crellyſſ. San. ſ. reſponſū ad
Langium, Rot.
18. Langiſſ. Joh. Mich. ſ. Ratiocinatio
dei Pfaffenſtand
jure naturae Ordinatione
pyn. Berlin 1717.
19. Diffratatio theologiſſ. Lipsiæ
dij de jure decendendi
controversia theologicas.
Hala 1701.

20. Lohsij s. Jeremij diff. de equis.
no. Judaico, i. eud 1665.
21. Michaelij s. Joh. Henr. diff.
de Angelo interprete, Hald
22. ejarden, de equali pretio fidei
omnium vere Christianorum,
1707.
23. Neumann s. Joh. G. diff. de
chiaramo, Wittomb. 1649.
24. Deutschmann s. Joh. / programma
de perpetua creatione
doxologia. i. eud 1699.
25. Neumann s. Joh. G. / programma
collegiade facient epo. para.
dax in quibusdam Novatorum
affectionibus Wittombi
1702.
26. Olearij s. G. phil. diff.
de statua fulguris ritu
Capto de celo. Lipsie
27. Oporini s. Jacob de similitate
conf. 47 ac inspiratione divina,
Göttinge 1724.
28. Pelargij s. Christoph. diff.
de fractione paucis
Eucharistici Hanoviae
1607.

24. pfeiffer f. Joh. Gottl. / diff. ex
psalmo 68. Lipsie 1724.
25. quidem de Epistola de
eo quod justum est circa
determinanda problemata
theologica. Lipsie 1723.
26. Schramm f. jone corr /
programma, de iniqua
disputationum theologicarum
proscriptione, Helmst.
1720.
27. Schütz f. Fried. Wilh. / diff.
de heresium in Ecclesia
utilitate. Lipsie 1729.
28. Spanheim f. Fried. / diff. adver.
fus. novam Disputandi
methodum Pontificiorum,
Lud: 1674.
29. Reinfeld f. Joh. Henr. peccata
omissionis X. in Neu-
manni programma,
1702.

35. Strinesij Sam. / diff. de
profundo cognitioai dei
Frankf. 1706.
36. Werandorff s. Gott. / diff. de
moderatione theologia. /
Wittenb. 1723.
37. Witsij s. Herm. / diff. de
arbore scientie boni et
mali, ultraq. 1643.
38. Wolfij s. Christ. / Specimen
physice ad theologiam
naturalem applicatae.
Halle 1717.
39. Eerbij s. Christ. / Hear. /
aloyza gentilium sacra,
Melleburg 1722.

NO
E

ADSPIRANTE DIVINO NVMINE.

DISSERTATIO PHILOLOGICO - EXEGETICA

GLORIOSVS CVLTVS,
SVPREMO NVMINI EIVS-
QVE CHRISTO
NOVI TESTAMENTI TEMPORIBVS
EXHIBENDVS,
EX VEXATO LOCO ZACHARIAE XIV. v. 9.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO

GVILIELMO HENRICO,
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQUA,

IN ACADEMIA SALANA
BENIGNO SVPERIORVM CONSENSV
AD D. SEPTEMBR. M DCC XXIII.
PVBLICE PROPONITVR PROPOSITIONES QVE ERVDITIS
EXAMINANDAE EXHIBENTVR

A
P R A E S I D E
M. FRIDERICO Shrist,
BVTSTADIO - THVRINGO.
RESPONDENTE
DANIELE PEVCERO,
AD FORSTAM LVSATO.

IENÆ, LITTERIS IO. FRID. RITTERI.

GLORIOSI S CIVITAS
SAPERO DANTUR
GAR CHRISTO
NOV TESTAMENTI TEMPORA
RECTOR MAGNIFICUS
CATHERMO HERRICO
BENIGNO SAPERO CONSERVA
M HERIBERICO
DUNKE GEGEBO

VIRO SVMME VENERABILI, AMPLISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO

IEREMIAE IOSEPHI,

THEOLOGO MAGNI NOMINIS, ILLVSTRISSIMO COMITI
A PROMNITZ A CONFESIONIBVS ATQVE CONCIO-
NIBVS AVLICIS, PER COMITATVM SORAVIENSEM
SVPERINTENDENTI MERITISSIMO, CONSISTORII AD-
SESSORI GRAVISSIMO, PASTORI AD AEDEM VRBA-
NAM PRIMARIO ET ATHENAEI INSPECTO-

RI SPECTATISSIMO,

VIRO MAGNIFICO, SVMME VENERANDO,
AMPLISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,

DOMINO

LAVRENTIO OTTONI LASIO,

SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI CELEBERRIMO,
PRAEPOSITO PRAEFECTVRAE CIBELLENsis IN CO-
MITATV MUSCAVIensi IN LVSATIA SVPE-
RIORI MERITISSIMO,

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, AMPLISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

MARTINO LANGIO,

THEOLOGO FAMIGERATISSIMO, ILLVSTRISSIMAE AVLAE
PROMNITZIANAE CONCONATORI
MERITISSIMO

VIRO PLVRIMVM VENERABILI, PRAECLARIS-
SIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

BALTHASARI HENRICO HEINSIO,

THEOLOGO PERCELEBRI, ECCLESIAE TRIBELLENSIS
ANTISTITI PRIMARIO MERITISSIMO, SCHOL-
LAEQUE OPPIDANA INSPECTORI
SPECTABILI,

VIRO PLVRIMVM REVERENDO, PRAECLARIS-
SIMO ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

IOANNI SIGISMVNDO HEINSIO,

PHILOSOPHIAE MAGISTRO DIGNISSIMO, SERENISSI-
MAE PRINCIPI SAXONIAE LOVYSAE ELISABETHAE
A CONCIONIBVS AVLICIS,

AC DENIQUE

VIRO ADMODVM VENERABILI, CLARISSIMO
ATQUE DOCTISSIMO

DOMINO

IOANNI SYLVESTRO BARCH-
VVITZIO,

ILLVSTRISSIMO COMITI A PROMNITZ A CONCIO-
NIBVS AVLICIS POMERIDIANIS, ILLVSTRSSI.
MAEQVE IVVENTVTIS PRAECEPTORI
DILIGENTISSIMO,

S. P. D.

DANIEL PEVCER,


MEGATEVPLITZ. AD FORSTAM LVSATVS.

VIRI SVMME ATQVE PLVRIMVM
VENERANDI,

EX quo ex contubernio musarum Sora haruni,
cuius non sine ingenti laetitiae voluptate sub-
inde recordor, in hanc Almam Salanam tan-
quam ad mercaturam bonarum artium, relieta pa-
tria dulcisima, discessi, extemplo de pietate in re-
ferenda gratia, pro eo quidem ac debeo, cogitaui.
At vero quum vestrorum magnitudinem multitu-
dinemque beneficiorum complector animo & co-
gitatione, qui me consilio, institutis, precibus, re-
denique ipsa, ita vt, si a DEO parentibusque mihi
carissimis discessero, nemo magis, nunquam non
adiutum iuistis, nonnisi grati animi fidelem memo-
riam restare facile intelligo. Quid est enim, si vel
maxime pro virili mea laborauero, quod VOBIS;
qui inuenti estis partim beneficio parentes, partim
amore fratres, partim humanitate atque candore
amici, rependam, quum nemini non sit explora-
tissi-

BRDIA 262 CCCC XXXII

tissimum, VOS praestanti in me benevolentia & singulari plane studio exstissee. Quare publica haec in me promerita vestra, publicum etiam obseruantiae atque deuoti cultus monumentum postulant, id quod alia re nulla, vt ego quidem arbitror, fieri potuit, quam si hoc academicum specimen VENERANDIS nominibus VESTRIS sacrum esse iussero. Cultus titulum pae se fert, quam eruditorum placido subiecimus examini, disputatio, DEO; quem pie colitis, eiusque CHRISTO Noui Testamenti temporibus praestando, materiam exhibens nec ab officio, nec ab animo vestro, alienam. Praeclare mecum agetur, si pro more vestro, hoc est hilari fronte, quam VOBIS obferre nullus dubitauit venerationis grataeque mentis tesseram, acceperitis, atque me studiis meis VOBIS haut displicuisse declaraueritis. Numen vero diuinum atque immortale, quod semper facere confueui, supplex venerabor, velit mentibus vestris salute in non interruptam, corporibus sanitatem constantem, laboribus sacris fructus exoptatos, familiis splendidissimis amplitudinem & gloriam cumulate tribuere atque erogare. Ceterum ut tenuem musam meam vestro patrocinio, fauore, amore, benevolentia, in posterum etiam ornare ne dignemini, est quod maiorem in modum precor. Valete! Dabam in Academia Ienensi,
a. d. IV. Sept. M DCC XXIII.



CVM S. SANCTA TRIADE!

DISSERTATIONIS PHILOLOGICO - EXEGETICAE

EXORDIVM.

S V M M A E.

Studii philologici utilitas & iucunditas laudantur. §. I. eiusdem incrementum nostris temporibus adstruitur. §. II. illud ex dicto Biblico praedictum probatur. §. III. quod & deinde paullo enucleatius exponitur. §. IV. Hinc maior diligentia huic studio impendenda exoptatur. §. V. In quo & nostras vires nos periclitatueros esse, dicitur. §. VI. ac statim textus exercitationis nostrae adiicitur. §. VII. ordine, quo in hac dissertatione vtemur, tandem indicato. §. VIII.

§. I.

PHilologiae studium * nostris temporibus per Summi Numeris fauorem & auxilium mirifice creuisse; philologosque satis eruditos, in academiis pariter, atque aliis locis, vndiquaque dari, nullus est, qui perneget. Interim tamen id etiam, licet quis forte aegre velit, ingenue profiteri debemus, multa, immo innumera in hoc studiorum genere adhuc superesse, quae animum non superstitis solum; sed & futuri rerum philologicarum Cultoris delectare non minus; quam exercere queant.

* Vtilitatem & necessitatem studii philologici contra eiusdem osores, in primis BARTHOLDVM NIHVSIVM egregie demonstravit

SAL. GLASSIVS, in *mantissa ad Philologae sacrae libros* pag. m.
2078. seq.

§. II.

Quid? quod si dicendum, quod res est, veritate coniuncti asserimus, nostram aetatem antiquis temporibus ferme in studii philologici & exegetici ~~angustis~~ palmam praeripere coepisse. Siquidem in historiarum veterum monumentis non facile inueniemus, quod tanta opera & cultura in eodem sit adhibita, quanta hodie a non paucis, & quidem, quae Dei gratia est, felicissimo successu impenditur. Multis certe obscurioribus sacri codicis locis iam clarissima lux affusa est, quae olim, proh dolor! spississimis inuoluebantur tenebris.

§. III.

Et nisi me omnia fallunt, viderut summus rerum humanarum moderator, incrementum huius studii postremis mundi diebus, ipse praedixisse, quum pio vati Danieli quasi in aurem diceret*: ואָתָה רַנִּאֵל סִתְמָה הַרְבָּרִים וְחַמָּה הַסְּפָרִים: עֲרָעַת קְצָבָן יִשְׁטָטוּ רְבִסָּם וְהַרְבָּה הַרְעָבָה: Namque, licet secundum versionem B. Lutheri primo intuitu mens Spiritus Sancti non statim elucescat, vt pote qui verba vertit: *Und nun, Daniel! verbirge diese Worte, und versigle diese Schrift, bis auf die letzte Zeit, so werden viel drüber kommen, und großen Verstand finden;* vbi phrasis: *viel werden großen Verstand finden*, diuersimode explicari possit: tamen in fonte reperita verba id sufficienter euincunt, si ea reddimus: *Tu autem Daniel! occlude verba, & obsigna librum usque ad tempus finis: percurrent multi, & multiplicabitur scientia.*

* Confer, sis, prophet. DANIEL. caput XII. v. 4.

§. IV.

Per scientiae seu cognitionis notionem quidem multa studiorum genera intelligi possunt, & praecipue hoc loco *vacationorum a deo manifestatorum* tum explicatio; tum ad rerum

rerum praedistarum complementum, applicatio. Attamen, cur hic accuratius Philologiae studium, quia aequa sub scientiae ambitu comprehendi potest, & debet, excludamus, plane non videmus. Istud enim ad verum Scripturae sacrae sensum indagandum, potissimum in locis obscurioribus, requiri, omnes in vniuersum confiteantur oportet.

§. V.

Haecce igitur nobiscum intimius quam pensitaremus, in eam adducti sumus opinionem, eos utique valde laudabile opus in se suscipere, qui saltim in partibus sacrarum literarum intricatoribus explanandis vires suas pro virili periclitantur. Optauimus & inde ex animo, ut plures, in scientiis philologicas aequa, acexegeticis egregie versati, singula ista loca, quae difficultate aliqua, quo minus rite explicari possint, adhuc laborent, scrutarentur, suasque expositiones ac meditationes orbe cum eruditio, sine aduersariorum metu, aliter forsitan sentientium, communicarent.

§. VI.

Quoniam vero haud exigua, ut modo edifferuimus, ea que arcana, in libris propheticis, secundum omnium fere interpretum liberam confessionem, recondita deprehenduntur, quae assiduam diligentiam doctorum, in fine seculi viventium, ad hunc usque diem expectant, nullus fortassis, sa niore mente praeditus, nobis vertet vitio, si & in hac studiorum specie, quid valeant humeri, quid ferre recusent, tentare nunc audebimus.

§. VII.

Namque in praesenti constituimus, aliquod effatum diu Prophetae *Zachariae* in medium proferre, quod omnino, nostro quidem iudicio, locorum veteris foederis vexatis simorum seu difficiliorum unus summum iure nominari potest. Sic autem verba, de quibus iam disputare, mens est, in fonte

וְהָיָה וְהַתֵּלֶת לְמֶלֶךְ עַל־כָּל הָאָרֶץ בִּזְמַן הַחִזְקִיתָה:
IEHOVA autem erit Rex super omnem terram: in die illa erit IEHOVA unus, & nomen eius unum. Septuaginta interpres ea hunc in modum vertunt: καὶ ἔσται κύριος εἰς βασιλεῖς πᾶν πάσου τὴν γῆν. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἑκάτη
 ἕτη κύριος εἰς, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῷ ἔν.

* Sunt a diuino vate ea expressa totius huius Prophetiae cap. XIV.
 commate nono.

§. VIII.

Ordine omnia, quo denique a nobis exponantur, translationem nostram de glorioſo cultu, Supremo Numini, eiusque Christo Novi Testamenti temporibus exhibendo, ita absoluere, animus est, ut primo capite de Subiecto, cui cultus ipse gloriōſus praestandus erit; altero-deinde de praedicatis seu iis, quae cultum ipsum secundum dictum nostrum constituant, futuri simus solliciti. In quibus singulis, ut nos sapientissimus Spiritus, veritatis amans, manuducat, intellectumque nostrum lumine diuino illuminet, deuote, assiduisque precibus rogamus atque obtestamur.

CAP. I.

DE

S V BIECTO, CVI CVLTVS ISTE GLORIOSVS
 N. T. TEMPORIBVS PRAESTANDVS EST.

S V M M A E.

TRANSITUS fit ad evolutionem Subiecti. §. I. quod Iehouam, certo modo eiusdem nomen esse asseritur §. II. & perspicue describitur (1) positive, §. III. (2) negative. §. IV. Speciatim vero transfertur ad mundi Seru-

torem §. V. idque probatur ex antecedentibus, §. VI. ac testimonio MVNSTERI confirmatur, §. VII. Idem porro adstruitur ex adiecto praedicato. §. VIII. & dictis parallelis, tum ex Veteri Testamento. §. IX. & X. tum ex no-

no

uo instrumento depromtis. §. XI.
Licit pater eiusque Spiritus non
excludantur. §. XII. sed potius
eos simil in filio honoratum iri,
dicitur. §. XIII. Deinde inda-
gatur vocabulum **וְעַד**, quod
certo modo itidem ad Subiectum
refertur. §. XIV. vbi istius varia
exhibetur acceptio, & quidem pri-
ma & secunda. §. XV. quarum
prima ostenditur ex Scriptura S.

§. XVI. dictorumque neruis dein
declaratur. §. XVII. Postea altera
acceptio demonstratur & proba-
tur. §. XVIII. Tertia etiam ac-
ceptio nominis Domini assertur,
§. XIX. & denique quarta seque-
ritur. §. XX. cum probatione. §. XXI.
tunc quae acceptio heic obti-
neat, quaeritur §. XXII. Nam
id sciuisse multum iuuat secun-
dum §. XXIII.

§. I.

Quod si itaque singula verba huius commatis accuratis
paullo' perpendere velimus, necessitas a nobis postular,
vt ante omnia *Subiectum*, cui cultus iste gloriolus praestandus
erit, viuis describamus coloribus. Hoc enim neglecto, torus
labor foret frustraneus, vel saltim eum scopum exegeseos,
quem nobis praefiximus, non attingeremus, utpote qui inter
alia est, vt agnitionem *DEI* maxime celebrem, & noni testa-
menti temporibus, omnibus terrae populis euenturam, ad ocu-
lum demonstremus.

§. II.

Subiectum vero istud, de quo heic sermo est, dicitur
duabus vicibus **וְעַד**, & secundum septuaginta versionem
וְעַד. Nam ita se habent verba: *Erit autem IEHOVA Rex*
*super omnem terram.** Et iterum: *In die illa erit IEHOVA*
vnuus. Immo si quis & vocabulum **וְעַד** subiecti loco insu-
per indicari voluerit, quia itidem eiusdem datur praedica-
tum, non haberemus, quid eidem obiceremus. Siqui-
dem diuinus vates his verbis claudit nostrum pensum:
וְעַד מִשְׁמָרָה & nomen eius (erit) vnum. Sed de his infra
pluribus.

* Cor

* Cur locutionem illam בָּרוּךְ הַהוָּן ad praecedentia verba in Regem, seu vti nos vrtimus: erit rex Beat. IO. TARNOVIVS, in Comment. ad b. l. traxerit, nescimus, quum tamen maxima fecerit ibidem distinctionem.

§. III.

Profecto noimen, quod in textu occurrit, sine dubio excellentissimum dixeris, modo vera didiceris profiteri. Quippe istud soli DEO proprium, eiusdemque excellentissimam essentiam optimo modo exprimere, iam dudum saniores philologi obseruarunt. Nam illi significationem, eidem perfectissime respondentem, indicare si voluerint, istud ut plurimum hunc in modum descriperunt*, quo sit ens independens, quod ab omni aeternitate extitit, in omnem aeternitatem durabit, semper in praesenti existens, rebusque omnibus aliis suam largiens existentiam. **

* Conf. celeberr. IO. ANDR. DANZII praeſat. ad paradigm. nominum & verb.

** Hinc alii philologi usurpat etiam notionem Subſtantioſis, seu Eſſentiatoris; terminis quidem non metiendis cultioris ſtyli latinitate.

§. IV.

Sicuti itaque in hoc nomine solo, ſolum verum DEVUM, qui coelum & terram creauit, indigitari cum omnibus cordatoribus philologis liberime profitemur: ita e contrario, per istud vocabulum interdum angelos creatos, quod quidam, licet absque omni ſolido fundamento, afferuere, argui, rotunde negamus.* Ut in praesenti taceamus, quod tota penſi nostri συνάφεια, antecedentibus & conſequentibus penitus exuſſis, nullam plane aliam explicationem a nobis poſtulet.

* Vide de his pluribus iam nominati celeb. DANZII praeſat. loc. cit.

§. V.

Interim, num quis hoc loco per vocem בָּרוּךְ tantuſmmodo ſecundam diuinitatis adorandaе υπόστατη, ſeu totius mundi ſerua-

seruato rem *Christum Iesum*; an sacro - sanctam Trinitatem, intelligere debeat, merito disceptatur. Si verba, pensum nostrum praecedentia, conferimus, in primis comma huius capituli tertium & quartum, procul dubio de filio DEI ibidem sermonem esse, cum prudentioribus Exegetis, fundamentis haud contemnendis, nixis, strenue adstruimus.

§. VI.

Tenor etenim istarum expressionum locis citatis ita conspicitur: *Tunc Iehoua exibit, & pugnabit contra gentes istas, secundum diem, quo pugnauit in die proelii. Stabunt autem pedes eius in die illo super monte oliuarum, qui ante facies Hierosolymae ab oriente;* & scindetur mons oliuarum per dimidium suum ad orientem, & ad mare, *valle (existente) grandi valde;* & recedet dimidium montis ad aquilonem, *dimidiumque eius ad meridiem.* Quae verba sane ita comparata sunt, ut ad mundi Seruatorem quam optime quadrent.

§. VII.

Hinc etiam *Salomo Glassius**, quum in hoc prophetae effatum incidit, verba ἐξηγήσαται Munsteri allegare amat, qui sententiam suam hac ratione exposuit: Haec pugna, inquit, videtur fuisse praedicatio Euangeli, qua apostoli & successores eorum Romanum imperium, & sere omnes gentes (spiritualiter, vi verbi & miraculorum potentia) expugnauerunt. Et hoc proelium incipit a monte oliuarum, super quo pedes Christi steterunt, quum in coelum ascenderet, & diceret: ite in vniuersum orbem, & praedicate, cet. Et tunc scissus fuit mons oliuarum, hoc est, ecclesia Christi, in monte illo collecta, diuisa est in quatuor mundi plagas, ut praedicaret verbum Christi omni creaturae.

* Euoluat. eiusdem *Philologia Sacra*, LIB. V. TRACT. I. CAP. XX. vbi &, quae de relicto illo magno hiatu, cuius vates vers. 5. l. c. meminit, ille habet, legi merentur.

B

§. VIII.

§. VIII.

Deinde, quod de Saluatore nostro in textu potissimum sermo sit, quoque videre est ex adiecto praedicato: וְהִיא יְהוָה לְמַלְךָ Et erit Dominus Rex. Nomine enim Regis quam plurimis in locis sacri codicis insigniri DEI filium, nulli potest esse obscurum, qui aliquantis per accuratius in iisdem enucleandis, & inter semetipsa conferendis impenderit studium. Ut autem rei veritas nobis eo clarius elucescat, vnum atque alterum ex multis dictum heic in medium protulisse, forte iuuabit.

§. IX.

Per spicuum vero huius rei testimonium, si me non omnia fallunt, exhibet pientissimus Rex Dauid, quum scribit*: Ascendit DEVS in iubilo: Dominus in voce tubae. Cantate DEO, cantate: cantate, REGI nostro cantate. quoniam REX omnis terrae, cantate sapienter.** Vbi sane sermonem de hominum Saluatore esse, verbis antea locatis, eiusmodi sensum prorsus suadentibus, sufficienter appetet.

* vid. Psalmus XLVII. & quidem eiusdem comma 6.7. & 8.

** Evidem de voce מִשְׁכָּל eruditii diuersas fouent sententias, quum alii eam reddant: cantate (Deo) psalmum didascalicum; alii: psallite ei ode didascalica; alii psallite psalmum eruditem; alii iterum: canite, quotquot intelligitis, quas cum nonnullis pluribus poteris legere in D. MART. GEIERI Commentario in psalmos David. ad h. loc. sed omnes haec explicationes ita comparatae sunt, ut sensum non adeo multum mutant.

§. X.

Nonne & ipse pater filium suum isthoc nomine Psalmo II. expresse compellat? cuius versiculus 6. primam diuinitatis personam hunc in modum loquentem introducit: Sed ego (etsi multi terrae reges contra illum, eiusque gloriosum regnum aliquando rebellaturi reperientur, vt ex antecedenti-

dentibus clare patet) REGEM meum constitui super Zion, mon-
tem sanctitatis meae. Et hanc verborum expressionem ad
Christum Regem respectum habere, ex subsequente commate
liquidissime demonstrari potest.

§. XI.

Porro idem expressis dictis habemus in noua oeconomia, vbi Christus passim Rex salutatur. Apud diuum Ioan-
nem * vt saltim vnicum locum adducamus, potestatem Christi
regiam, regisque titulum, ita descriptum a Spiritu supreimo, de-
prehendis: *Et ex ore eius prodibat romphaea acuta, ut ea se-
riret gentes, & ipse (ποικιλῆς) reget eas virga ferrea, & ipse
calcat torcular vini excandescentiae & irae DEI omnipoten-
tis. Habebat autem in ueste, & in fimo suo nomen scriptum:
Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ Κύρος κυρίων, Rex regum, & Dominus
dominorum.*

* Conf. Apocalypſ. CAP. XIX. vers. 15. & 16.

§. XII.

Quibus itaque declaratis, non tamen putaueris, nos hoc modo exclusisse gloriosum cultum, primae & tertiae diuinitatis *προσότοις*, vltimis temporibus praestandum. Absit plane a nobis eiusmodi sententia. Namque sicuti regnum spirituale est vnum, essentia vna, gloria vna*: ita profecto patrem, eiusque Spiritum in Messia Regum Rege devote insimul ab uniuerso orbe, eadem gloria ratione, honoratum iri, nullus est, qui dubitare queat.

* Hinc etiam ex Philologis sunt, qui regnum Dei in Christo IESV niti & fundari, liquido demonstrant. Vid. pluribus de his inter alios CAMPEGII VITRINGAE *anacrisin Apocalypfios Ioannis ad CAP. IV. eiusque vers. 6.*

§. XIII.

Vnde certo quoque genere Patrem & Spiritum vna cum filio, seu adorandam Sacro - Sanctam Trinitatem subiecti loco

constituere nos debere, ambabus manibus concedimus.^{Int.} Et ad singula praedicata, quae statim sequentur, quod attinet, eadem ad omnes tres vnius diuinae essentiae subsistentias egregie, & satis conuenienter applicari posse, non est inficiandum. Sed de his infra multis verbis distinctius agere, mens est.

§. XIV.

Hic tantummodo adhuc quaestio occurrit: quonam sensu vocabulum **Θεός** Philologo accipendum hoc loco veniat? Diuersimode etenim in diuinis scriptis id usurpari, vnicuique ferme doctorum notum est. Nos vero antea edisseruimus, quod, si quis idem ad subiectum referri velit, nos eidem, ceteris licet paribus, non adeo acriter contradicturne esse mus. Quapropter instituti nostri ratio sane iam etiam a nobis efflagitat, vt & de eiusdem planiori euolutione diligentiore cum geramus exegeticam.

§. XV.

Quod si igitur ad hanc quaestionem aliquid certi respondere debeamus, ante omnia monemus, vt quis prius distinctionem admittat, quam illico addamus. Nimur nomen DEI potest sumi partim *subiectiu*e, liceat ita cum Philosophis hac vice dispescere, quo IEHOVA ipse saepiuscule in Scriptura Sacra secundum essentiam suam indigitatur; partim etiam *attributiu*e, in quantum nomen celeberrimas eiusdem affectiones seu attributa diuina, quamvis re vera ab essentia diuina non differant, nobis designat.

§. XVI.

Priori significatu nomen Iehouae crebro sacris in literis accipi pro Deo ipso, possimus impraesentiarum ex duobus duntaxat oraculis luculenter probare. Primum exhibit rex & vates DAVID, quum subiectos, regibus suis optima quaevis apprecantes, introducit loquentes, his verbis: *Elenet Te no-*

men

men Iacobi*, vbi sine omni dubitatione Deus ipse celeberimus, nominatisimusque intelligatur oportet. ** Alterum tradit Propheta IESAIAS, vtpote qui in aliquo loco haec verba legenda nobis proponit: *Ecce nomen Domini venit de longinquuo, ardor furens eius, & grauitas oneris: labia eius repleta sunt ira, & lingua eius tanquam ignis consumens.* Ut in praesenti alia loca ***, idem indicantia, breuitati studentes, taceamus.

* Conf. eiusdem Psalm. XX. v. 2.

** Vid. Beat. MARTINI GEIERI Commentar. in Psalmos ad hunc locum.

*** Deuter. XXIX. 58. Psalm. CXV. 1. cet.

§. XVII.

Ast neruum horum allegatorum dictorum vt penitus ostendamus, sciendum est probe, quod de nudis literis nominis יְהוָה eleuare, seu tueri aliquem, & secundum posterius oraculum τὸν οὐρανὸν de longinquuo cet. praedicari plane nequeat: quod & sane quilibet, sana ratione praeditus, vt opinamur, nobis lubens largietur. Quare ad Deum ipsum, vel certe eiusdem summa attributa, de quibus paullo post agemus, tunc nobis recurrentum esse, euidentissime liquet.

§. XVIII.

Posteriori significatione notionem nominis Dei in Scriptura diuina nobis occurtere, eaque mortalibus summas Dei perfectiones e. c. scientiam, sapientiam, sanctitatem, iustitiam, veracitatem, potentiam, bonitatem cet. tradi, clarescit inter alia loca ex illo Dauidis, quo dicitur: *Notus (est) in Iuda DEVS: in Israel magnum nomen eius.* Cum quo coniungendum putamus, quod sicut Salomo regum sapientissimus, dicens **: *Turris fortis nomen Iebouae: ad ipsam curret iustus & exaltabitur.* Quae vero singula perquam commode ad attributa diuina referri posse, est in aprico.

* Leg. eiusdem Psalm. LXXVI. v. 2.

** Vid. eius Proverbior. cap. XIX, v. 2.

§. XIX.

Praeterea, ne quid omittamus, animaduertimus porro, notatione nominis Domini non raro etiam argui voluntatem, atque maiestatem seu gloriam DEI, hominibus, tum miraculosis operibus, tum verbo diuino efficaciter manifestatam. Quum enim sospitator mundi, ut ex compluribus locis unum modo, proferamus, olim Patri dicebat *: ἐφανέρωσε τὸ ὄνομα τοῦ ἀνθρώπου, certe gloriam, maiestatem & voluntatem patris, operibus & verbis ostensam, illum ibidem intellexisse, unicuique planum est.

* Videat IOAN. cap. XVII. v. 6.

§. XX.

Denique nomen Domini itidem autoritatem, atque mandatum diuinum; immo interdum ipsum Dei cultum, publicamque fidei professionem significare, eruditiores philologi, iam dudum obseruarunt. Namque verba Christi *: Εγώ εἰληφθά σὺ τῷ ὄνοματι τῷ ωρίσε με, optime respectum habere ad autoritatem, atque mandatum patris, probant opposita verba, quibus ille eodem loco loqui pergit: εἰδί αλλαχθήσεται τῷ ὄνοματι, id est in sua autoritate & voluntate, alius si venerit, ἐκεῖνον λαλεῖσθε, illum recipietis.

* Leg. IOAN. cap. V. eiusque vers. 43.

§. XXI.

Nomen autem Domini pro ipso DEI cultu, & verae fidei professione seu fiducia in Deo collocata, saepenumero in sacris libris sumi, vti id posse secundum quorundam Philologorum mentem fieri, paullo ante enarrauimus; probare possumus ex promissione illa diuina, Dauidi facta, qua Iehoua illi dicebat *: Illud (scilicet semen tuum, de quo in antecedenti-

dentibus,) olim aedificabit domum meo nomini, h. e. vero cultui, in domo ista mihi praestando. Et si lux mundi discipulis suis intimat **: οὐδὲ μορφεῖς τὸν πάνταν διὰ τὸν ὄντα μόνον, nullus alias est sensus, quam quod futurum sit, ut illi propter nomen eius, seu quod Christum colant, profiteantur, fiduciāmque in eodem collocent, ab omnibus habentur odio.

* Vid. II. Samuel. cap. VII. v. 13.

** Confer Matthaei cap. X. v. 22.

S. XXII.

Nunc tantummodo quaestio est: num & nomen Domini hoc loco singulis ipsis significationibus, quas hactenus tam prolixē ad praecedentes paragraphos XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXI. allegauimus, accipi possit; annon? Respondemus: Si praedicata ad illas, de quibus non multo post tractabimus, apte quadrare, trahereque conuenienti modo poterunt, vt inde nihil absurdī sequatur, eiusmodi explicaciones quidem admittēmus; meliores tamen & accuratiōres aliis praeferemus merito.

S. XXIII.

Haec itaque, quae ad Subiectum spectant, paulisper fuisse a nobis fuerunt pertractanda. Sed ne quis opinetur, sine necessitate vocis — explicationi tamdiu nos inhaesisse, ut pote quae forsan parum ad rhombum faceret, ex subsequentibus, si egregia illa praedicata perlustrauerimus, id a nobis omnino instituti nostri rationem requisuisse, pluri-

ribus apparebit.

CAP. II.

CAP. II.

DE

PRAEDICATIS SEV IIS, QVAE CVLTVM GLORIO-
SVM SVMMI NVMINIS, EIVSQVE CHRISTI, NOVI TE-
STAMENTI TEMPORIBVS, SECUNDVM DICTVM
NOSTRVM, CONSTITVNT.

S V M M A E.

NVnc praedicata explicantur, teruallo commemoratur. §. XVII.
 & quidem primum §. I. De Sequitur explicatio vocis קדש §. XVIII. eiusdemque variis significatus adducuntur. §. XIX. & ad quo sententiam nostram modeste declarare promittimus. §. II. Ipsa postibi explicatio subiicitur. §. III. inferturque aliqua obiectio. §. IV. ad quam tamen statim respondeamus. §. V. Inspecie deinceps phrasis primi praedicati euoluitur. §. VI. & quid per eam hoc loco intelligendum sit, quaeritur. §. VII. Res ipsa subinde exponitur. §. VIII. vbi tamen nullum admittitur extremum. §. IX. sed potius fit eiusdem clarior enucleatio, & ad Christum applicatio. §. X. minime tamen excepta Sacro Sancta Triade. §. XI. Quae singula vberius edifferuntur. §. XII. & XIII. Iam alterum praedicatum describitur. §. XIV. quod ex σωτηρίᾳ textus in genere explicatur. §. XV. tempusque eiusdem complementi indicatur. §. XVI. vbi etiam aliorum sententia de speciali temporis in-

teruallo comm. §. XVII.
 Sequitur explicatio vocis קדש §. XVIII. eiusdemque variis significatus adducuntur. §. XIX. & ad textum applicantur. §. XX. cum quibus coniunguntur eruditorum varia iudicia, & quidem (1) Iac. Guseii. §. XXI. (2) Theophili Alethaei. §. XXII. (3) Io. Tarnouii. §. XXIII. & XXIV. (4) Sam. Szattmar Nemeihi. §. XXV. & XXVI. (5) nostrum XXVII. & XXVIII. postea falsa Socinianorum interpretatio conuellitur. §. XXIX. vera autem enodatius proponitur. §. XXX. Tandem ultimum apparat praedicatum. §. XXXI. quod etiam perspicue expeditur. §. XXXII. XXXIII. XXXIV. probaturque expositio (1) assensu glossographorum Bibliorum Vinariensium, §. XXXV. (2) congruentia eiusdem cum Regulis primariis seu canonibus exegeticis. §. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. (3) dictis paral-

parallelis. §. XL. XLI. XLII.
XLIII. & XLIV. (4) propriae
verborum significacionis retentio-
ne. §. XLV. & (5) emphasi. §.
XLVI. Postea recensentur aliter
sentientium opiniones de dicti
nostrī sensu. §. XLVII. & qui-
dem (1) Hermanni Wifsi. §.
XLVIII. (2) Theophili Aletbaei.

§. XLIX. Campeg. Vitrinæ. §. L.
& LI. cum obiectionibus alio-
rum, his seſe opponentium. §. LII.
§. LIII. LIV. ~~דָמְקֶגְזָס~~ nostra
omissa, quum simus in cathedra
Philosophica sec. §. LV. Gratiae
Deo aguntur, & clauditur differen-
tatio. §. LVI.

§. I.

PRIMUM igitur praedicatum, vt ad eiusdem planiorem enu-
cleationem nos statim accingamus, est hoc modo in Textu
expressum : וַיֹּאמֶר יְהוָה לְמֹלֵךְ עַל־כָּל־הָאָرֶץ Et erit
Dominus Rex super omnem terram. Sed hic Rhodus; hic
saltate, dicit forte quis ad nos? Respondemus: Bene! probe
vtique scimus, hunc locum esse vnum, vt & supra confessi su-
mus, ex difficilioribus & vexatissimis; quia in illo exponendo
tot interpretationes & sensus sunt, quot dantur paene in hoc
terrarum vniuerso exegetarum capita.

§. II.

Interea tamen nos minime veremur, nostram sententiam
cum eruditis scribendo & disputando communicare. Aca-
demii quippe id iuris competere, firmiter statuimus, vt qui-
libet, in iisdem se tenens, nisi absona & contra fidei analogiam
pugnantia, propalare annititur, suam mentem de locis diffi-
cilioribus aperire queat, eique tale quid praestare, plane li-
ceat. Ast quo omnia rite fiant, & ordine, singula penſi
noſtri verba intimius scrutari, nobis, auxiliante Deo, pro-
poſuimus.

§. III.

Et erit Dominus Rex &c. haud immerito ceteris praedicatis prius iudicatur, non solum, quia in versuſ frontispicio
statim

C

statim adest, sed &, quia huius phraseos expositione clara, sequentia praedicata sua sponte fluent, illorumque expositiones facilius concedentur. Notio verbi יְהוָה quidem supra a nobis fuit adducta, adeoque, ut id heic repetamus, non est necesse. Et ad vocem יְהוָה quod attinet, unusquisque linguae hebraicae peritus illico largietur, quod vi 1 conuersi res tota in tempore futuro, non praeterito, accipienda veniat.

§. IV.

Equidem si quis obiecerit, hoc praedicatum: *Et erit Dominus Rex super omnem terram*, etiam in tempore praeterito; quin immo plane omni, complementum suum iam dum habuisse, ideoque rem exigui esse momenti, si alium sensum hic querere velimus. Verum enim vero, si explicationem vberiorem de hac phrasi dederimus, mox prudenteribus apparebit, disputationem nostram non esse de lana caprina, licet hoc praefiscine dictum cupiamus, sed sane magnum post se trahere emolumendum.

§. V.

Posito interim, sed nondum concessso, phrasin hanc omnibus interpretibus videri leuem; nobis tamen aequre non videtur leuis. Etiam si affirmemus, Dominum a primordio mundi non modo suo iure, quod probe notandum censemus, esse potuisse; verum etiam reuera regem fuisse *super omnem terram*: Attamen illum eodem sensu, quem textus noster postulat, nimirum ratione vniuersalis, & illustrioris agnitionis regii Numinis imperii, multiplicatis mortalibus, cultusque praestantioris ab omnibus qui parent, eidem praestandi, regem fuisse, absolute negamus.

§. VI.

Ast quo phrasin: *τὸν regem esse*, eo melius intelligamus, consultum erit, ut ante omnia triplicis modi, quo Deus, & in primis

primis Seruator noster optimus regnare dicuntur, rationem habeamus. Regnat etenim vterque tum in regno naturae, vbi omnium ac singularum creaturarum creans, atque conservans Dominus est; tum in regno gratiae, in quo fideles soli conspicuntur eius veri cultores, eidemque subiecti; tum denique in regno gloriae, vbi ille certe beatis est, eritque omnia in omnibus.

§. VII.

Quibus praemissis, nunc oritur quaestio: Ad quodnam igitur regnandi genus verba nostri oraculi commode referenda sint? Respondemus: quod de regno gloriae, vbi coelicolae subditi sunt, hoc loco sermo non sit, perspicimus distincte ex adiectis verbis: Et erit Dominus Rex עַל־כָּל־דָּرְכָּיו super omnem terram. Hinc sua sponte fluit, quod heic sine dubio & potissimum ad regnum gratiae, respectus si habendus; quamuis regnum naturae seu potentiae, ceteris tamen paribus, certoque modo, mox explicando, non penitus excludamus.

§. VIII.

Realem autem explicationem ut adiiciamus, vi huius phraseos omnino statui posse, arbitramur, noui foederis aetate illustriorem, verumque Christi cultum, clariori luce* cognitum, eidem cum patre & spiritu non solum a conuentis iudeis, sed & multis aliis populis, sub dio viuentibus, exhibendum, his verbis diserte indigitari. Ea enim sane emphatica verba cum duplice Macceph notata, hunc sensum plane non coactum, libere admittere, nisi quis pertinaciter extendenda constringere velit, manifesto appetat.

* Beat. IOAN. HENRICVS MAIVS in *Oeconomia temporum Vet. Testam.* Cap. XIX. *de Veter. Testam. liturgia S. IX.* eiusmodi de hac re profert verba: dicens: *Sacerdotes sub vesperam lucem accendentes Levit. XXIV. 2. 3. 4. innuebant, sub vesperam mundi oritu-*

ram lucem lucidiores, ubi ille & caput nostrum Zachar. XIV.
v. 7. & Daniel. XII. 4. allegat, acita pergit: Lumen maius obfuscat minus. Veteris Testamenti umbrae cessare debebant, aduentante luce N. T. Rom. XIII. 12. & post tenebras Antichristi plene discussas orietur lux clarior, ut ex Zachar. & Dan. II. cc. liquet. Licer alii de ultima huius explicationis phrasí aliter sentiant.

§. IX.

Sed, num singuli mortales in indiuinduo, in omni terra degentes, iis noui instrumenti seculis, se ad Regem Deum & Christum vero cultu, veraque fide, quum de gloriose cultu, Summo Numini, hac aetate praestando, dissertationis nostrae thema constituerimus, conuersuri sint? potissimum hic queritur. At haec asserere nec possumus; nec volumus: quia textus nil de vero cultu, DEO a singulis in indiuinduo exhibendo, tradit; sed tantummodo loquitur de cultu illustriori, id est, eo, quem omnis terra tandem aliquando DEO, & totius mundi redemptori, tanquam regi suo foret praefitura. Hinc id saltim ex prophetia sequi, quod nulla ferme terra seu prouincia in fine dierum futura sit, quorsum non deueniat verus Dei, Christique cultus, seu vera religio, euidenter certimus. *Namque aliquot populos, immo ipos reges cultum bunc in sui exirium retractaturos esse, ipse diuus vates commate 11. 18. & 19. nos condocet; illos tamen gloriosum Dei cultum minime impedituros esse, nobis firmiter persuadere possumus.*

§. X.

Quia autem sine vera regis Christi agnitione nullus cultus, Deo acceptus, existere potest, & nos etiam non multo ante statuimus, secundam essentiae diuinæ *ὑπόστασιν* primario in hac sede indicari, prima & tertia Sanctæ Triadis tamen nunquam exceptis; inde populos terrarum eodem tempore animarum saluatorem tanquam mundi & suum redemptorem pro-

professuros, eidemque ceu eiusdem genuinos subditos sceptro verbi diuini vnice regendos, adhaesuros esse, ex verbis nostris satis elucescit. Alias Seruator super omnes * istos dominari non diceretur.

* Confer cap. hujus versic. 16. & miraberis.

§. XI.

Quemadmodum igitur pater, & eius spiritus semper in filio honorantur: ita omnino fore, tunc temporis asseuerandum est, vt gloria CHRISTI non solum, sed & patris, eiusque Spiritus mirum in modum sanctificetur, & celebretur. Accedit, vti supra iam annotauimus, quod, sicut vna essentia, vnum idemque est regnum atque sceptrum, hoc est verbum diuinum: sic quoque futura sit vna eademque gloria:

§. XII.

Hanc expositionem, quam modo dedimus, potissimum ad regnum gratiae pertinere, forte nullus est, qui dubitauerit. Interibi, si quis ex nobis vltius quæsuerit, quomodo capiendum sit, quum paragr. VII. dixerimus, nec regnum naturæ seu potentiae, certo tamen modo, a regno gratiae, in hoc praedicato excludendum esse: modum itaque illum, vt accuratius paulisper explanemus, promissiones nostræ, ibidem datae, a nobis omnino efflagitant.

§. XIII.

Nimirum extra omnem dubitationis aleam est positum, quod Deo & Christo statim ab initio creaturarum ius dignitatis regiae attribuendum sit; isque semper maneat, manserit, & mansurus sit Rex, siue illum homines pro Rege, & moderatore huius vniuersi habeant; siue non. Hoc quidem verum est. Sed quia in phrasí sacra generali ratione dicitur: *Et Dominus erit Rex super omnem terram*, iisdem verbis etiam innui, Deum, Christumque in ylta temporis mundi intercedidine a pluribus, tunc superantibus, vera cognitione

Dei praesertim nunc aucta, tanquam regem potentem, creatorem & conseruatorem hujus vniuersitatis, excellentiori modo agnatum, honoreque regis affectum iri, nobis quidem satis planum atque manifestum est.

§. XIII.

Iam ad alterum prae dicatum, quo verus diuinus cultus N.T. temporibus DEO exhibendus describitur, nos ut conuertamus, merito prius verba biblica allegare debemus, quae, seruata strix, commatis serie ita se habent: **בָּוּם הַהְוָא רְדִיבָּה וְהֹהֶה אֲנָרָה** *in die illa erit dominus unus.* Deinceps ordinis ut habeatur ratio, primum tempus, quo prae dicatum seu cultus Dei verus prae dicari poterit, & subinde rem ipsam sine pbrasim, altiori indagine perpendere, multum juuabit.

§. XV.

Tempus igitur totius complementi nostrae prophetiae indicare, ferme difficile est. Collatis nempe capitis XIV. singulis versibus, concedere contingit, quod aliquot nominati capitis partes impletae dici omnino queant. Commata enim eiusdem priora 1. 2. 3. ad tempora Maccabaica, quibus Deus populum suum partim hostibus tradidit *; partim eundem iterum ab illis liberauit **, optime applicari posse, non diffitemur. An ceteroquin *Ճան* seu perfectum complementum rerum prae dictarum hic plene inuoluatur, & comma 5. huc quadret, fere subdubitamus. Accedit, quod lux oriunda tempore vespertino i. e. mundi, & aquae viuae, de quibus vi. 7. & 8. sermo, potius phaenomena noui instrumenti, nimirum lucem & refrigerationem euangelii, adumbrare, haud obscure nobis videantur.

* Confer, sis I. LIBR. MACCAB. cap. I. & in specie eiusdem v. 60. seqq.

** Videat. citati I. LIBR. MACCAB. Cap. XIV. 6. seqq.

§. XVI.

§. XVI.

Ex his antea dictis tamen statim appetet: verba בָּרוּךְ in illo die, non tam stricte solum accipi debere, sed ea aliquam latitudinem, temporumque spatia, in se continere, est in aprico. Licet quidam sint, de quibus infra pluribus, qui strictius temporis interuallum circa Noui Testamenti finem potissimum ad αὐγὴν vaticinii eo melius exhibendam, vise-runt. Quare etiam illa non modo: *in illo die*, sed & *post hoc tempus*, quo propheta diuus vaticinatus est, reddenda esse, nemo non, qui veritatem amplectitur, animaduertere valet.

§. XVII.

Illi quidem, qui specialem Noui Test. periodum his verbis adsignant, dicunt: licet hoc vaticinium sub tempore Mel-siae & Apostolorum per praedicationem euangelicam, imple-mentum suum impetrasse, videatur, ubi seps inter Iudeos & paganos plane sublata fuit, ut reuera dici possit: *In illo die*, quin immo ad hunc usque diem fuit & est אֶחָד יְהוָה Domi-nus unus. Attamen, quia adhuc dentur propemodum innu-meri populi, qui vera summi Numinis cognitione prorsus ca-reant, adeoque de plurimis praedicari, proh dolor! nequeat: Iehouam illis factum esse unum: hinc illi, ista verba, ut ex parte illorum inchoatum & continuatum complementum concedunt, ex toto nondum certe completum illud habere, istudque ad ultimum temporis N. T. articulum reseruari, sta-tuere solent. Verum an certum & determinatum tempus, seu periodos, annos, menses, hebdomadas & dies definire quis possit de impletione huius effati, nonnullis difficile est creditu.

§. XVIII.

Haec vero omnia fortassis reddentur clariora, quimi nunc etiam praedicatum ipsum אֶחָד יְהוָה erit Do-minus unus, accuratori studio excusserimus. Quamuis infi-cias ire nequeamus, in hac phrasi forsitan tantum a sapientia diuina

diuina reconditum esse, quantum ingenii nostri imbecillitas, vix assequi in praesenti potuerit: Non nihil tamen hat vice, pro concessis viribus tentasse, ne prouersus in tam ardua re tacere videamur, haud poenitebit.

§. XVIII.

Veruntamen verborum ambages ut euitemus, breuissimis explicabimus de his dictiōnibus nostram mentem. Ad vocabulum אֶחָד equidem, quod attinet, istud sane varios admittere sensus, linguae Hebraicae periti non ignorant. Quandoque enim eo significatur *vetus*; quandoque *vnicus*; alibi *solus*; iterum *primus*; rursus *insignis* & *summus*, ceteris iam missis, quos idem habet, significatiibus.*

* Vide clariss. CHRISTIANI STOCKII Clauem Linguae Sanctae ad vocem אֶחָד, vbi & ad quemlibet significatum exempla inuenies vberrima.

§. XX.

Quibus itaque ad amissim exaequatis, illico affirmare audiems: omnes paene adductas acceptiones posse ad Deum & Christum nouae oeconomiae aetate applicari. Quidni diceremus: Tandem circa finem seculorum supremum Numen erit *vetus*, *vnicus*, *solus*, *primus*, *insignis*, atque *summus Dominus*? Interea, vt distinctius de hac voce edisseramus, si repetendum hoc loco putetur vocabulum יהוה, vt sensus sit: *Tum erit Dominus vetus Dominus*, diuersas omnino doctorum de hac phrasē sententias deprehendimus.

§. XXI.

Nimirum summa quidem ingenii vi docet celeb. IAO. GVSSETIVS, in *Commentar. Ebr. Linguae pag. 27.* Vnitatem aliorum Deorum exclusiūam nullibi voce אֶחָד; sed aliis atque aliis loquutionibus efferti. Ita enim exprimi Dei vnitatis solet, modo per לְבַדּ *exclusiūam*, Deut. IV. 35. יהוה הוּא הָלֹהוֹת אֵין שָׁרֵךְ: *Dominus est ille Deus, non est amplius*

plius praeter eum solum, conf. I. Reg. VIII. 23. 60. II. Reg. XIX. 15. 19. Ps. LXXXVI. 10. modo per negatiuas אָנָּן בְּלֹתִי זָלַתִּי Deuter. XXXII. 39. אֵין אֱלֹהִים עָמָרִי non est Deus mecum, coll. I. Sam. II. 2. II. Sam. VII. 22. Esa. XLIV. 9. modo per interrogatiuam, Esa. XLVI. 8. modo per exceptiuam, & sic porro; quod vero vel maxime attendi meretur, est, quod Esa. XLV. 20. & 21. vox אָחָד non succurrat, quum tamen illustrissimae unitatis Dei eloquitiones huc illuc alibi respersae, istic fere, quantum licuit, mira varietate recollectae sint.* Verum enim vero alii aliter sentiunt, & contra haec asserta allegant Deuter. VI. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Sic & isti huic referunt expositionem legis periti, qui Marc. XII. v. 32. Christo assentiebatur, dicebatque: bene esse enarratum, ὃν εἰς Ἰησούς, vbi addit ἡγέρεται ἀλλὰ τὸ πλήν αὐτῷ collat. I. Cor. IIX. 4. Ephes. IV. 6. & I. Tim. II. 5.

* Vid. THEOPHILI ALETHAEI gründliche Erläuterung der dunkeln Oester, und Steine des Anstoßes A. und N. Testaments, & speciatim notas ad hunc locum des neunzehenden Versuchs, pag. 435. seqq.

§. XXII.

Vnde & illis, qui GVSSETII partes tenent, interpretationem quorundam, dicentium: Vati diuino potiorem respectum ista dictione ad exclusionem pluralitatis, seu multitudinis deorum aliorum fuisse, ita, vt sensus esset: omnem idolomaniam, superstitionem ethnicam, & quicquid est non-Deus, iisdem diebus abrogatum iri, hominesque innumeros ad unicam istius unius Iehouae, eamque veram agnitionem peruenturos esse, non placuisse, facile constat. Namque iam nominatus Autor *Theophilus Alethaenus*, loco citato sic pergit: In nostro Zachariae loco notes oportet, illud אֶחָד unum non sumendum esse, vt inseruit ante nomen speciei, sed individui, quia Iehoua est individuale nomen.

D

§. XXIII.

§. XXIII.

Quibus autem non obstantibus, minime contempnendam putamus εξηγησον̄ IO. TARNOVII in Commentario in hunc locum, qui ita scribit: Tertium consequens Euangelii est vera Dei cognitio, nominisque eius tota terra manifestatio, nam Iehoua, qui est reuera solus rex super omnem terram, erit & agnosceretur etiam tum ab omnibus talis (saepe enim res fieri dicitur, quando manifestatur) die illo, quem idola fuerint sublata, eorumque cultus ex animis hominum conuersorum deletus, erit Iehoua unus, sine idolis unus ac solus in Ecclesia agnosceretur, praedicabitur & inuocabitur secundum cap. XIII. 2. & nomen seu cultus eius verus erit unus Iohan. X. 16. Idola enim gentiles variis modis coluere; DEVIS autem noster, qui spiritus, vult tantum in spiritu ac veritate adorari, Ioh. IV. v. 23. 24. & in fide vera inuocari, Iacobi I. 6. Marci XI. 24. Roman. X. 13. Syrach. VII. 9. secundum voluntatem ipsius I. Ioh. V. 14. in Christi nomine Ioh. XVI. 23.

§. XXIV.

Eodem calculo notamus, quae doctus ille Vir paulo post loc. cit. commentatur, in primis ad verba: *Erit Iehoua rex, & unus super omnem terram.* Idololatiae, inquit, DEVIS quasi scindunt, & in varias partes diuidunt, quando unum mari, alterum terrae, &c. attribuunt: veri Christiani autem norunt, unum esse DEVIS, non plures, qui solus regit omnia, & praeter eum non est ullus aliis. 2. Reg. V. 15.

§. XXV.

SAM. SZATTMAR NEMETHVS in expositione huius loci verf. 9. effectum demonstratae veritatis ex verbo Dei sub se continere, statuit, atque ita edisserit: *Vnitas regni & nominis Dei.* Primum sic indicatur: *Et erit Iehoua in regem super totam terram.* Terram Ecclesiae intelligi, clarum est, si non

non quoad omnem vniuersalitatem respectu totius mundi, sal-tim haec tenus, quatenus vniuersa Ecclesia Reformata solum Iehouam, Christum D. agnoscit, & veneratur Regem. Praeter-quam enim, quod in Ecclesia Noui Testamenti solus iure suo regnet Rex Christus, in Ecclesia Reformata omnis potestas, iurisdictio & dictatura abolta est, omne nomen humanum ex-punctum, vt non nisi solus Iehoua sit Rex.

§. XXVI.

Porro, secundum, ille pergit, est: *Illo die erit, Iehoua vnus, & nomen eius vnum.* Iehoua non nisi vnuus, imo vni-cus est; sed idem est Pater, Filius & Spiritus Sanctus, & quia Iehoua vnuus est, vnum est nomen eius, non potest diuidi. Diuidunt nomen Dei, & qui Filium minorem faciunt Patre, non nisi Deum temporarium, & qui praeter illius nomen, aliud volunt audiri in Ecclesia, quique opera Christi & regnum eius homini adscribunt. Haec Schismata adhuc exer-cent Ecclesiam. Significatur ergo vnitate nominis Dei sub-latio schismatis in Ecclesia, quoad nuncupationem nominis Dei, quod est quasi alium atque alium Deum & Christum no-minare. Ceterum sub nomine Dei quum illius virtutes & operationes, maxime in Ecclesia, intelligantur, vnitate nomi-nis Dei significatur, vnitas principii credendi, & articulorum fidei, de Deo & Christo, tanquam uno. Si porro hanc rem vrsursum, per Regem & Iehouam h.l. Christum intelli-gi, res ipsa docet: is enim solus est Rex, in medio eius est *nomen Dei*, illum nominamus Iehouam, quum in illum credimus, quum Auctorem nostrae fidei habemus, ab eo solo iustitiam & vi-tam exspectamus. Manifestissima sunt haec pro diuinitate Christi. Vnde potenter conuinci possunt *χειρούρχοι*, omnes, qui quoconque nomine diuidunt nomen Iehouae & Christi. En expositionem SAM. SZATTMAR NEMETHI! quae vtrum in omnibus valeat, annon? alii iudicabunt.

D 2

§. XXVII.

§. XXVII.

Quod si vero vocem **רַבָּנִים** potissimum ad generis humani Seruatorem, vt supra monuimus, referre velimus, nil plane obstabit, quo minus tunc aliquod aliud substantiuum subintelligere liceat, hoc forsitan modo addendum: Eodem tempore Dominus, i.e. Christus erit unus scilicet Rex, de quo paullo ante, vel Messias, Saluator, Redemptor, &c. cui tunc temporis omnes, veritate conuictos, quasi suffragia datus communia, illumque unum reuera esse, fuisse, atque mandatum vnicum mundi Saluatorem, confessuros esse, putandum est.

§. XXVIII.

Ne denique prima & tertia **תְּבוֹשָׁמִים** sacro-Sanctae Trinitatis hoc praedicato excludatur, quod nefas esse, in antecedentibus iam diximus, asserimus quoque, vocem **רַאשָׁה** prodere & istud, quod resultet ex multis unitis, adeoque cum aliqua oppositione ad multa haec, ex quibus exsurgat eius totalitas quasi una, quorsum Philologi * referunt locum Exod. XXVI. 6. vbi aulaea fibulis copulata sibi inuicem dicerentur expressie **אַחֲרֵי-** **הַמִּשְׁכָּן** tabernaculum unum collat. Exod. XXVI. 11. Namque hunc sensum apte etiam huc quadrare, certum est. Hoc quippe modo designat illud **אַחֲרֵי** pluralitatem ratione personarum, quae vero coalescat quasi in unum ratione essentiae, ita, vt hoc verbum innuat: Ille Dominus, qui alias a Iudeis; alias a Christianis creditur: a Socinianis vero & aliis discepitur, euadet tandem unus, hoc est, concordi cultu & fide, illo tempore Pater cum Filio, & Spiritu Sancto recipietur.

* Confer. antea citati THEOPHILI ALETHAEI librum, pag. 43. & 434.

§. XXVIII.

An itaque Socini asseclae ex hoc dicto recte probare possint, purioris christiana religionis doctores, ultimo temporis N. T. punto,

puncto, errores suos de tribus personis in Deitate, ac potius, vnum tantummodo, eumque verum Deum perspicue agnitos esse, vix credimus. Aliam enim plane verba textus explicationem permettere, iam sufficienter probauimus, & iterum etiam in subsequentibus pluribus sumus demonstraturi.

§. XXX.

Quamuis enim Supremum istud Numen, nostra superiori explicatione, ab omni aeternitate, verus, solus, vnum & primus DEVS seu Dominus fuerit, immo is etiam futurus sit, licet a nemine hominum coleretur, quod extra omnem dubitationis aleam positum esse, arbitramur: Veruntamen illum ab omnibus gentibus & populis quoquis tempore, vt tales, non agnatum fuisse, quemlibet concedere oportet. Vaticinium autem nostrum de vera Dei notitia, & gloriose cultu, laetis Noui Testamenti temporibus, eidem a multis tum iudeis; tum gentibus, praestando, loqui, ex antea dictis sufficienter patescit. Hinc maiorem pariter ac clariorem veri Dei agnitionem, insignioremque eiusdem in & per Christum venerationem, his verbis insuper inuolui, modeste sumus confessi.

§. XXXI.

Ast forte huic praedicto clarior lux affundetur, si tandem quoque ultimum praedicatum, quod in oraculo nostro, occurrit, explanauerimus. Comprehenditur nimirum illud duabus his modo vocibus: **וְשָׁמָן אֶחָד** & *nomen eius* (in ultimis scilicet mundi temporibus erit) *vnum*. Quæ verba a quibusdam pro Synonymis cum antea exhibitis: *Dominus erit vnum*, haberi posse, non abnuimus. Certo namque modo id dixisse, haud foret absurdum, quum Iehoua, eiusdemque nomen nihil diuisi sub se contineant, & quicquid est in Deo, sit ipse Deus. Nihilominus tamen, quia sub nomine Dei etiam

aliae veniant cultus diuini partes, vti antea ostendimus, engatius de hoc praedicato itidem egisse, non pigebit.

§. XXXII.

Quemadmodum igitur supra cap. I. §. XV. & XVI. nomen Domini sumi posse primo *subiective*, hoc est pro Deo ipso, & asserimus, & probauimus; ideo hoc loco id amplius non repetimus, quia in citatis paragraphis de hoc subiecto, iam satis nos dixisse, existimamus: ita tantum nunc alteram urgebimus significationem, qua nobis nomen Domini etiam, secundum §. XVIII. l.c. *attributive* acceptum, veniebat, nobisque summae Dei & Christi perfectiones v. c. scientia, sapientia, sanctitas, iustitia, veracitas, potentia, bonitas &c. luculenter exhibebantur. Quibus enim euictis & concessis, dicimus ulteriorius, quod per praedicatum: *τὸν θνητὸν εἶναι*, de nomine Domini enuntiatum, simul nihil aliud innatur, quam eiusmodi idiomatum diuinorum concors & vnaminis agnitus, veneratio & celebratio, quas in quam plurimis hominibus, nonnullissimo mundi tempore viuentibus, manifesto conspiciendas, nobis ipse rerum euentus atque experientia forent repraesentatura.

§. XXXIII.

Postea idem sentimus de eeteris nominis Domini acceptationibus, dicimusque diuum prophetam & his verbis profari, fore, vt voluntas atque maiestas seu gloria Iehouae & impensis Christi, tum miraculosis operibus, tum verbo diuino efficaciter manifestata, secundum §. huius tractationis XIX, cap. vltimis mundi temporibus, clarius in plurimorum mortalium oculos incurrat, lausque summi Numinis hanc ob causam, ab illis multo illustrius, quam forte vñquam, uno quasi ore, concordibusque cordibus, admissis simul ab omnibus essentiae diuinæ

diuinae vnitate, tribusque personis, nunc amplificetur; adeo-
que hoc significatu quoque nomen Domini fiat vnum.
§. XXXIII.

Denique, quia nomen Domini autoritatem & manda-
tum diuinum, quin immo ipsum Dei cultum, publicamque
fidei professionem denotare, itidem supra §. XX, demonstra-
tum iuimus, confirmamus porro etiam in praesenti, quod
praedicatum *et vnum esse*, de nomine Domini usurpatum, ea
omnia, conuenienti & decenti tam modo, aequi iuuue-
re queat. Scilicet ita, vt vates noster praedicat, futurum esse,
vt tunc temporis conuersi homines actiones suas autoritate,
& mandato diuino, peracturi, sincerum cultum, DEO dignum
praestituri, veramque fidem in Christum, uno ore & corde,
magis certe, quam olim, professuri sint.

§. XXXV.

Glossographi vinariensium Bibliorum egregie rem to-
tam ita describunt: *Und der HErr wird Koenig seyn über alle Lande, (Christus IESUS wird nicht nur im Jüdischen Lan-
de und zu Jerusalem, sondern auch in der ganzen Welt für
den vVahren Messiam, und das Haupt seiner Kirchen erkannt,
und gehoret werden. Zu der Zeit (vVenn die mancherley
Götter und Gözen der Jüden und Heyden werden abgeschaf-
set seyn, Cap. XIII. v. 2.) wird der HErr nur einer seyn (es
werden alsdenn alle rechtglaubige Christen den einigen vVa-
ren GOTT erkennen und ehren in dreyen Personen, und in ei-
nen unzertrentlichen Wesen.) Und sein Name nur einer, (es
wird nur ein rechtschaffener Gottesdienst, und nur eine rech-
te Lebre des Euangelii in der Kirchen GOTTES, im Schwan-
ge geben.)*

§. XXXVI.

Et sic quidem genuinam huius oraculi interpretationem
desiderantibus hac in parte nos satisfecisse, firmiter credimus.

Nam

Nam si artis exegeticae magistri praecipiunt; singulas exegeses debere congruere cum literatura scripturae sacrae, seu analogia Grammatica, & recte quidem in hac re statuunt, nos id etiam in praesenti probe obseruasse, quilibet eruditus perspiciet. Liceat igitur statim applicationem instituere ad nostram sacri commatis expositionem, atque hunc in modum argumentari: Quaecunque expositio alicuius dicti, ceteris paribus, cum analogia Grammatica conuenit; illa non temere est reiicienda. Atqui nostra Expositio, cet. par. cum analogia Grammatica conuenit; Ergo &c. Nam nos radices, coniugationes, tempora, personas, numeros, aliasque vocum affectiones, stricte retinuisse, quilibet linguae gnarus animaduertit.

§. XXXVII.

Deinde si secundum institutiones exegeticas omnis electa sententia cum contextu congruat oportet, nostra sane ita comparata est, ut cum antecedentibus pariter ac consequentibus commatisbus, non coacto, sed commodo modo conciliairi queat. Accedit, quod ferme omnes sacratum literarum interpres pensum istud diu vatis ad tempora mundi ultima, seu N. T. interualla referre, minus dubitent.

§. XXXVIII.

Nec obstat nostra explicatio circumstantiis aliis. Convenit enim, & cum persona dicente, & cum personis, ad quas dicebatur. *Hae* nimur in captiuitate Babylonica sedentes atque gementes egebant hac vice firmo solatio: *illa,* seu *sanc&tus* Propheta inde, ad easdem erigendas, optima solatiorum genera, inter quae & nostrum, illis propinabat, quasi diceret: Laetamini: veniet tempus, quo tristia in laeta commutabuntur; quo Iehoua Rex vester vnicus, immo non vester solum, sed & omnium populorum Rex exstiterus est. Ex quibus, nos in interpretatione nostra, nil contra dictorum scopum

scopum, occasionem, tempus, locum, modumque afferuisse,
insimul appetet.

§. XXXVIII.

Porro euolutionem nostram Parallelismo quoque respondere, certum est. Vnum atque alterum vero dictum, idem, quod nostrum, affirmans, impraesentiarum duntaxat adducere, ad rei evidentiam multum forte faciet. De cultu quidem, a populo Iudaico Domino, & in primis Sospitatori animarum, noui instrumenti temporibus, praestando, ut multa parallela citemus, non est necesse. Multos enim Iudeos tunc temporis, de quo D. vates loquitur, ad Deum Christumque conuersos fuisse, vnicuique, vel saltim auctus Apostolorum oculo fugitiuo perlustranti, notum atque manifestum est.

§. XL.

Sed de cultu gentilium forsan magis quaeritur: num illi quoque secundum dicta nostra ultimis mundi periodis, seu N. T. temporibus, vera Dei & Christi notitia imbuedi sint? Hinc etiam de hoc quaedam testimonia ex sacro codice afferre, nobis proposuimus. Ex vetero oeconomia autem luculentum aliquod hac de re argumentum occurrit Ps. XLVII. v. 2. & 3. vbi haec videmus verba: *omnes populi plaudite manu; jubilate Deo in voce laudis,* & statim ratio eiusmodi laudis adiicitur: *Nam Dominus altissimus, terribilis: Rex magnus super omnem terram.* Eandem expressionem reperimus ibidem v. 8. in quo Deus, seu hoc loco potissimum Seruator mundi, omnis terrae Rex, explicitis verbis salutatur.

§. XLI.

Sic & magnam emphasin agnoscimus in his dictis hic pertinentibus, v. g. Psalm. II. v. 8. Deus pater filio suo promittit: *se illi daturum esse gentes in bacereditatem & fines terrae in possessionem.* Ps. VIII. v. 2. & ultimo bis dicitur: *Domine! Domine noster! quam illustre est nomen tuum in uniuersa terra.*

E

Ps. XX.

PL. XX. 28. reperties haec verba: *Reminiscentur & conuerterentur ad Dominum omnes fines terrae; & inclinabunt se coram te vniuersae familiae gentium.* Iterum Ps. LXX. 11. *Incurvant se ei omnes Reges: omnes gentes ei seruent, collato eiusdem Psalmi v. 17.**

* Ipse B. MARTINVS CHEMNITIVS, in *Harmonia quatuor Euangelistarum*, quum adscensionem Christi ad festum tabernaculorum Ioh. VII. 2. seqq. explicat, allegat locum ex Zachar. XIV. eiusque vers. 16. & dicit: *Hac de cauſa, ut nempe homines peregrinationis in his terris, commonefaceret, Deum etiam loc. cit. praedicere, futurum, ut in N. Testamento vniuersae gentes ascendant Hierosolymam, ibique celebrent festinatatem tabernaculorum, agnoscentes nimirum, se in terris peregrinari, patriam autem in coelis habere.* Atque ea propter, relictis studiis terrenis, ad coeleſtia properare.

§. XLII.

Immò, si dicendum, quod res est, multos sane prophetas circa vaticiniorum suorum finem, de clariore cognitionis luce gentibus terrae, Noui Testamenti tempore, donanda, vaticinatos esse, nouimus. Maxime Iesaias de hac re illustria adducit verba capite, prophetiarum suarum LXI. v. vltimo, vbi dicit: *Deus germinare faciet iustitiam & laudem coram vniuersis gentibus.* Et rursus capite LX. com. 3. *Ambulabunt etiam gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Adhuc sublimius vero ille ibidem vers. 5. pergit: *Tunc dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad Te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*

§. XLIII.

Ecquid viterius dicamus ad ipsam primam, Abrahamo Patri credentium, factam promissionem, cuius tenor erat: *benedicetur in te omnes familiae, seu secundum v. 18. capit. XVIII. & v. 18. cap. XXII. omnes gentes terrae.* Namque certe in his locis minime sermo est, de uno tantum, atque altero populo, sive de nonnullis modo, sed de omnibus plane terrae gentibus.

Quae

Quae verborum expressiones, decente emphasi sumitae, profecto ita comparatae sunt, *vt omnino clariorem agnitionem Dei, Gentilibus, N. T. temporibus, donandam, quum omnipotens Dominus promissa & praestanda sua facilime praestare queat, quid? quod ut plurimum magis praefert, quam fuerit pollicitus, liquidissime demonstrent.*

§. XLIII.

Ex novo foedere vnum atque alterum modo locum, thesin nostram eximie defendantem, in medium proferre sufficit. Exstat illorum unus Marc. XVI. 15. vbi Christus discipulis dicit: *Euntes in mundum uniuersum, praedicate Euangelium omni creaturae.* collat. Matth. XXVIII. 19. Idem probare possumus ex verbis diui Pauli, quae Rom. X. 18. legimus, & ita se habent: *Numquid non audierunt?* Resp. *Immo vero in omnem terram exiuit sonus eorum (scilicet pacis nuntiorum) & in fines terrae verba eorum.* Coloss. I. 23. idem Apostolus diserte profitetur: *Euangelium praedicatum esse inter (non solum omnigenas,) sed prorsus omnes creature, quae sub coelo sunt.* Certe haec tam clara atque perspicua sunt, vt nullo plane amplius, indigeant, argumento.

§. XLV.

Praeterea, quum regularum hermeneuticarum doctores probe quoque auditoribus suis inculcent: ab visitata seu propria verborum significatione non esse recedendum, nisi summa necessitas id suaserit, nos etiam in nostra explanatione a proprio verborum vnu non recessisse, cuilibet manifestum est. Retinuimus enim omnia ac singula verba in proprio ipsorum valore, nec vnuquam ad tropum, vel sensum allegoricum confugimus.

§. XLVI.

Nec minus cuilibet voci in nostra interpretatione tantam emphasis, quanta certe potuir, tribuimus. Illi enim, qui

canones exegeticos praescribunt, summa cum cura postulant, vt semper sensus alicuius orationis ampliandus sit, quoad eius fieri queat. Rationem addunt, quum, singula Scripturae Sacrae verba praesumenda, ceu sapientissimo DEI consilio concepta, adeoque magno selectu adhibita, atque ab omniscio intellectu prolata esse, probant. Nos igitur ad hunc canonem potissimum itidem respexisse, omnis prudens perspiciet.

§. XLVII.

Sunt quidem, quorum supra iam fecimus mentionem, qui phrasin: *Dominus erit Rex super omnem terram*, adeo stricte accipiunt, vt intuitu vocabulorum: *super omnem terram* adhuc specialem noui testamenti periodum, qua dictum hocce plenum suum complementum consequi debeat, anxie expectent. Nam, si locum Ies. II. 2. 3. 4. 5. nostro parallelum allegant, quaerunt cum cura ita: *Quota autem quaeque terrarum pars per spatiotissimum terrarum orbem vñquam Christum agnouit ac coluit, aut adhuc colit?* Certe manifestum est, vix trigesimam, aut vigesimam mortalium partem hodie de Christi nomine appellari, seu externa professione nomen suum christianae religioni dedisse; tantum abest, vt vere ad Christum conuersi sint eorum plurimi, seu vera eum fide interne etiam colant. Neque vñquam iam inde ab Apostolorum tempore maior exstitit christiani populi amplitudo, quam quae nunc est. Etsi enim nonnullae nationes olim receptum Euangeli thesaurum rursus amiserunt, saltim incorruptum haud seruauerunt; inde tamen orbis christianus deminutus non est, quia eiusmodi iacturae per varias, easque, si externa respicias, amplissimas variarum gentium accessiones, subinde reparatae sunt, adeo, vt externum Ecclesiae christiana corpus potius creuerit, quam decreuerit. Nullum vero incrementum vñquam vidimus, quod vel decima parte illustrissimae promissionis mensuram attigerit. Et si gentes, quae iam ecclesiae corpus gene-

generatim constituunt v.g. Germanorum, Suecorum, Danorum, Belgarum, Britannorum &c. consideramus, in harum nulla illud conuersationis adiunctum, quod praesens oraculum prae-dicat, vñquam vlo modo deprehendimus.

§. XLVIII.

Doctissimi HERMANNI WITSII meditamentum, quod ad hunc Zachariae locum profert in *Miscell. Sacr. Tom. II. Exercitat. XIV. §. 7.* annon eo fere tendat? alii iudicare possunt. Etenim vir celeberrimus, talem christianismi speciem omnes pios ardentibus quidem votis exoptare, existimat: at nullius mortalis oculos in hunc vsque diem confexisse.

§. XLVIII.

THEOPHILVS ALETHEVS supra a nobis citatus, vi dicti nostri etiam maius adhuc incrementum regni spiritualis Christi defendit, quum in notis adiicit: Multa insuper Scripturae oracula sunt, quae vniuersalem omnium populorum vocationem, & conuersationem pollicentur. Promittit filio pater, daturum se ei *gentes*, imo & *fines terrae* in possessionem suam Psal. II. 8. conf. Psal. LXXII, 8. Zach. IX, 10. Ies. II, 2. 3. XLII, 4. 10. 11. Ies. IX, 9. Pollicetur Iehoua, conuersurum se esse ad *populos* labium purum, quo inuocent *omnes* nomen Iehouæ, colendo eum humero uno Zeph. III. 9. 10. Malach. I, 11. Ies. LIX, 19. LXVI, 18. 19.

§. L.

Inter alios vero Philologos nunc duntaxat *Campedium Vitrinum* super oraculum nostrum etiam audire placet. Is enim in Commentar. in libr. prophetiarum Esiae, expositis prius verbis Es. XLII. 8. *Ego sum Iehoua; hoc est nomen meum; Et gloria alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus,* yna cum aliis locis nostrum tangit, dicens: Sic apud Zachariam: *Ilo tempore erit Iehoua unus.* Verus Deus solus co-
letur,

letur, idemque eodem affectu prosequetur *omnes* populos. Et paulo post addit: *Quamdiu supersunt in orbe gentes, nondum perductae ad notitiam & fidem veri Dei: tam diu Deus non obtinet omnem vim potestatemque nominis Ichoua, & cet.*

§. LI.

*Idem in *avangioi* Apocalypsiis ad eiusdem cap. XI. v. 15. pag. mihi 512. hunc in modum commentatur. Certe, inquit, ut dicamus, quod res est, usque ad haec tempora dici nequit, Regnum Christi Iesu tanta amplitudine & gloria in mundo exhibitum esse, quantam spem faciunt illustria vaticinia Veteris Testamenti; & posset illud facile per partes ex historia euinci. Tempore Constantini implementum huius oraculi frustra quaeritur, quia Paganismus illa aetate nondum fuit extinctus. Sub Iustiniano Imperium Romanum totum se Christo Iesu externa fidei professione subiecit: estque ille articulus temporis in historia notabilis. Sed imperium Romanum solum venire non potest nomine Regnorum mundi. Persae, Indi, Germani, Scytha, aliorumque Regnorum postea in Europa natorum gentes, illo tempore nondum nomen dederant Christo, nec dici adeo potuit, Nomen Domini illa aetate fuisse unum per totam terram. Paulo post, postquam, id nec dici posse de temporibus Caroli Magni, nec reformatio- nis, indicauerat, addit: Alia igitur expectanda sunt, & laetiora tempora, quibus clarius patescet, & efficacius demonstrabitur, Deum inter homines esse, habitare & regnare modo si bi conueniente, & gloriose secundum amplissima antiqui temporis oracula.*

§. LII.

Ceterum, et si his adductis multi alii, quorum catalogum pertexere, nunc non cupimus, temporis & instituti nostri rationem habentes, faueant; tamen nec desunt, qui se illorum hypothesis viriliter opponunt. Dicunt enim, pro- phe-

phetiam, de qua nos hactenus egimus, iam complementum suum consequutum esse initio noui foederis, seu Seruatoris, & Apostolorum temporibus; quippe eorundem aetate non solum Iudeis, sed & vniuersis gentibus euangelium annuntiatum fuisse; adeoque non esse necesse, ut amplius eiusdem vteriori implemento peculiaris adsiginetur terminus.

§. LIII.

Alii iterum afferunt: complementum vaticinii saepius allati, non quidem solummodo esse ad prima tempora noui foederis restriagendum, sed se ad singulas oeconomias in Christo periodos, praesertim singularia temporum interualla v. c. Constantini Magni, megalandi nostri Lutheri, aliorumque, successive tamen, extendisse, ita, ut non opus sit, specialiorem plane, & illustriorem Dei cultum, in ultimis Noui testamenti periodis, denum obuum, statuere.

§. LIV.

Rursus alii obiiciunt, eiusmodi hypotheses seu opiniones, quas Campegius Vitrunga cum suis asseclis fouet, et diametro contrariari aliis sacri codicis expressis locis, cum primis effato isti Seruatoris optimi, quod Luc. XIIIX. com. 8. ita exprimitur: *Verum amen filius hominis veniens, num inueniet fidem in terra, vbi secundum illorum sententiam haec verba certe, in fine dierum fidem haud inuentum iri, indicare viderentur.* Sic quoque allegant alia dicta contra supra memoratos, v. 9. 1 Tim. IV. 1. vbi haec dantur verba: *At spiritus diserte dicit, foris in nouissimis temporibus desciscant quidam a fide, attendantes spiritibus deceptionis, & doctrinis daemoniorum &c.* Similiter contra eos afferunt loc. 2 Tim. III. 1. - 5. Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines, seipso amantes, pecuniae cupidi, elati, superbi, blasphemati, parentibus immorigeri, ingrati, scelesti, caritatis expertes, implacabiles, calumniatores, incontinentes, immites, minime

AMAH-

amantes bonum, proditores, praecipites, inflati, voluptatum
amantes potius, quam amantes DEI; habentes formam pie-
tatis, ast virtutem eius; abnegantes: & hos auersare. coll.
2. Pet. III. 3.

§. LV.

Sed de his omnibus vt nostram feramus, nullus forte desiderabit, qui secum altius pensitauerit, nos iam versari in cathedra non Theologica, sed philosophica. Nobis tantummodo sufficit, paucula nostra, quantulacunque fuerint, orbe cum erudito, modeste communicasse. Hinc etiam, tractatis tractandis, filum dissertationis nostrae abrumpimus, & si qua forte non satis erudite enucleata videantur, vt tum ingenii nostri exigitatem aequi bonique consulas, te, quisquis es, humanissime rogamus.

§. LVI.

Deo T. O. M. denique humillimas dicimus gratias, quod nobis non solum vires corporis, ingeniique, quibus dissertationem nostram ad finem feliciter perducere potuerimus, clementissime concederit, sed & nos huc vsque suo rexerit spiritu, suaque gratia, vt sensum nostri emphatici dicti, quem ex intentione diuina profectum, & verum esse, credidimus, in nostri pariter, ac aliorum solatium eruere valuerimus. Faxit porro supremum istud Numen, vt in praesenti hac veritate non solum gaudeamus, sed & Ichouam nostrum Regem libenter omni tempore recipiamus, quo vnuisque nostrum laetus exclamare queat: Dominus est Rex super omnem terram;

Dominus est Rex vnu, & nomen eius vnum!

Halleluia!

SOLI DEO EIVSQUE CHRISTO SEMPITERNA
LAVS ET GLORIA!


08 A 6423

Slc

R

VDM

Hi.75.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



ADSPIRANTE DIVINO NVMINE.
DISSERTATIO PHILOLOGICO-EXEGETICA

QVA
**LORIOSVS CVLTVS,
SVPREMO NVMINI EIVS-
QVE CHRISTO
OVI TESTAMENTI TEMPORIBVS
EXHIBENDVS,**

EX VEXATO LOCO ZACHARIAE XIV. v. 9.

*RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO*

VILIELMO HENRICO,
CE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARiae,
WESTPHALIAE, ET RELIQUA,

IN ACADEMIA SALANA
BENIGNO SVPERIORVM CONSENSV
AD D. SEPTEMBER, M DCC XXIII.

PVBLICE PROPONITVR PROPOSITIONES QVE ERVDITIS
EXAMINANDAE EXHIBENTVR

A

*PRAESIDE
I. FRIDERICO Christ,
BUTTSTADIO-THVRINGO.
RESPONDENTE
DANIELE PEVCERO,
AD FORSTAM LVSATO.*

IENÆ, LITTERIS IO. FRID. RITTERI.